Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38279
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

Et enim nostis mercennarios uel operarios diuersis temporibus ductos ad
uineam, mercedem tamen pariter accepierunt. Et prophetae
ergo et apostoli et martyres et nos et qui post nos erunt usque in finem
saeculi in ipso fine accepturi sumus salutem sempiternam. Et contem
plantes gloriam dei et eius faciem intuentes eum laudemus in aeter
num sine defectu, sine aliqua poena iniquitatis, sine aliqua
peruersitate peccati. Laudantes dominum et non iam suspirantes
sed inhaerentes illi cuius usque in finem suspirauimus et in spe
laetati sumus. In illa enim ciuitate erimus ubi bonum nostrum
deus est, lumen dei est, panis dei est, uita dei est. Quicquid est
bonum nostrum a quo peregrinantes laboramus, in illo inue
niemus. In illo erit quies, quam modo recordantes neces
se est ut doleamus. Illud enim sabbatum recordamur in cuius
recordatione tanta dicta sunt et nos tanta dicere debemus
ut dicentes numquam tacere, non ore sed corde. Quia si ore
tacemus, ut corde clamare possimus. EXPLIC DE PS XXXVII.

INCIPIT CARTAGINE AD MENSAM SCI CIPRIANI SERMO
HABITUS DE PSALMO XXXVIII.

Psalmi huius quemmodo cantauimus et tractandum
suscepimus titulus est. In finem pro idithum, canticum
psalmi dauid. Cuiusdam ergo qui uocatur idithum uoces
expectandae et audiendae sunt. Et si esse unusquisque nostrum
potuerit idithum, in eo quod cantat inuenit se et audit se. Uide
ris enim qui sic uocatus fuerit idithum, secundum hominum
priscam natiuitatem. Nos autem audiamus quid interpre
tetur hoc nomen et in ipsa interpretatione nominis quae
ramus intellegentiam ueritatis. Sicut ergo inquirentes
repperire potuimus in eis nominibus quae nobis ab studiosis
litterarum diuinarum ex hebraeo eloquio in latinum inter
pretata sunt, idithum interpretatur transiliens eos.
Quis est ergo iste transiliens uel quos transiliat. Quia transiliens
non nude positum est sed transiliens eos. Transiliendo enim
canta cantando transiliat. Transilientes tamen canticum
paulo ante cantauimus. Sed si quis transiliens cantauit, gau
deat se esse quod cantauit. Si quis autem terrae adhuc inhaerens